

nuntios suos et per provinciam recitari, quod nos terram Marchie et Ducatus, que iam nostrum dominium agnoverunt, ei volumus reddere et ab acquirendis aliis penitus abstinere, dummodo ad pacem velit venire nobiscum. Cum igitur ista nova ficticia in lesionem nostri nominis confingantur, ut, qui fidem puram habent ad nos et promptas gerunt intrinsecus voluntates, ipsas exserere<sup>a)</sup> trepident in apertum et alii etiam ad nos conversi in nostra devotione tepescant, fidelitati tue precipiendo mandamus, quatenus in loco, quem videris competentem iurisdictioni tue, indicas colloquium generale exponens fidelibus nostris huiusmodi fantasticas fictiones, que ad hoc fiunt, ne fiant nostrorum fidelium trepide voluntates. Explanes etiam universis et singulis immutabilem nostri propositi voluntatem, quod, si per millenos annos nostra protenderetur vita et oppoteret nos cum papa guerrarum continuare labores, nullus unquam modus intervenire posset pacis seu concordie, qui posset propositum nostrum evertere vel animum emollire, quin velimus terram omnem imperio nostro subditam et ab avo et patre nostro possessam tenere quietam et non habitam vindicare, ut imperium nostrum omnem ruinam seditionis amittat et secum hactenus solidetur.

## II.

*Kaiser Fr(iedrich II.) befiehlt den Bewohnern des Gebietes von Amelia bis Cornetum<sup>1)</sup> und der Maritima, sich gut auszurüsten und am nächsten ersten Mai unter dem Befehl ihres Generalkapitäns, des Grafen Simon von Chieti, zum Feldzug zu versammeln.*

*(Frühjahr 1243)<sup>2)</sup>.*

*Hs. fol. 24<sup>cd</sup>.*

Fr[idericus] Dei gratia Romanorum etc. prelati ecclesiarum, baronibus, potestatibus, consiliis et communibus et universis ab Amelia usque Cornetum et per totam Maritimam constitutis, quibus presentes littere ostense fuerint, suam gratiam et bonam voluntatem.

Ad pacandum<sup>b)</sup> statum rei publice poscit utilitas, ut eo<sup>c)</sup> tempore, quo reges ad bella procedunt<sup>3)</sup>, congregatis nostrorum fidelium viribus in manu potenti et brachio extento<sup>4)</sup> rebellium humiliare superbiam<sup>5)</sup>,

a) exserere *Hs.*    b) paccandum *Hs.*    c) uno *Hs.*

<sup>1)</sup> Heute Tarquinia.

<sup>2)</sup> Zur Datierung oben S. 178 Nr. 29.

<sup>3)</sup> Vgl. 2. Reg. 11, 1 und 1. Par. 20, 1.

<sup>4)</sup> Vgl. Ps. 135, 12; Deut. 5, 15 und 26, 8.

<sup>5)</sup> Vgl. Osee 7, 10 und Zach. 10, 11.